EXUL FORTUNATUS,

Decreſcentis Fortunæ Patriæ,

In terra longinqua non prodigus

FILIUS ACCRESCENS

JOSEPH,

Divinans ſterilitatem Ægypto,

è Judæo famulo Deus Pharàónis,

extrà præſaga ſomnia,

à circumfuſo Fratrum manipulo

ADORATUS.

Nunc ad avocandam ab Ægyptiacis ollis orexim,

Poſt minùs frugales Bacchi dies,

Vaticinans ſteriliores annos æternæ famis,

Sub Carnis-privii vigiliam

In ſcenam

REPRODUCTUS

A Perilluſtri Juventute Oratoria

Collegii Brunsbergenſis SOCIETATIS JESU.

Anno 1735. die 19 Februarii.

ARGUMENTUM.

NUnquam à Patria exulat innocentia. Potuit Patre & Fortunâ ejus orbari innocens Joſeph, ſed non Divinâ Providentiâ, quæ eum, terrâ Chanaan ab invidis Fratribus excluſum, amplo præfecit Regno Ægypti. Ad hoc niſi revocaſſet Domum Jacob, exilium in Patria habuiſſet, cui publica Orbis fames induxerat deſolationem. *Ex lib. Gen: à cap. 37. ad cap. 49.*

PROLOGUS.

DAvid admiratur DEI Providentiam in Joſeph, ad eamq; gratô animô ſecum recolendam invitat Iſràél. *Mementote mirabilium ejus, quæ fecit. Vocavit famem ſuper terram, miſit ante eos virum; in ſervum venumdatus eſt Joſeph, humiliaverunt in compedibus pedes ejus; miſit Rex & ſolvit eum; Conſtituit eum Dominum Domûs ſuæ & Principem omnis Poſſeſſionis ſuæ. Et intravit Iſràel in Ægyptum.* Pſalm. 104. Genios verò Iſràél, atrocitatem ſuam in Fratrem deplorantes, Genius Joſeph conſolatur mirâ DEI Providentiâ, calamitates ſuas in eorum bonum ordinantis; *Non veſtrò conſiliò, ſed DEI voluntate huc miſſus ſum, pro ſalute enim veſtra miſit me DEUS ante vos in Ægyptum.* Gen. 45.

ACTUS I.

Scena I. Jacob deplorantem publicam orbis ſterilitatem (*In univerſo Orbe fames prævaluit.* Gen. cap. 41.) conſolatur Vicinus, ſpe facta ex Ægypto adducendi frumentum, quò etiam ſtatim convocatos deſtinat Filios: *Audivi, quòd triticum venumdetur in Ægypto; deſcendite & emite neceſſaria. Deſcendentes igitur Fratres Joſeph decem* valedicunt Parenti, & *Benjamin domi retento à Jacob.* Gen. cap. 42.

Scena II. Fratres Joſeph paululum progreſſi occurrunt ex alia orbis parte Ægyptum petentibus, iisq; ſe adjungunt ſocios itineris: *Ingreſſi ſunt terram Ægypti cum aliis, qui pergebant ad emendum.* Gen. 42.

Scena III. Dum omnia lamentis complent Advenæ ac Ægyptii: *Nam & illos oppreſſerat fames.* Gen. 41. Pharàónis ædes pulſant ſubſidium petituri, *quibus ille reſpondit: Ite ad Joſeph.* Ibid.

Scena IV. Sic ab aula dimiſſi, feſtivas audiunt acclamationes, quibus ſalutatur *Joſeph Princeps in terra Ægypti.* Gen. cap. 42. *& clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, Salvator mundi adoratur* Gen. c. 41. quòd mundum ad Ægyptum, ob ſterilitatem ubiq; depaſcentem omnia, confluentem ſufficienti annona proviſum dimittat.

Scena V. Interea adſunt Filii Jacob, deductiq; à diſpenſatore domûs ad Joſeph (*cùm adoraſſent eum Fratres ſui, Fratres ipſe cognoſcens, non cognitus ab eis.* Gen. 42) Joſeph ſe diſſimulans Fratrem, eos ut exploratores carceri includendos tradit. Hìc inter lamenta crudelitatem in Joſeph, olim exercitam execrantur, dicentes intra ſe: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem noſtrum.* Gen. 42.

Scena VI. Hæc dum ſubaudit Joſeph, intelligitq; minorennem Fratrem Benjamin ad ſolatium Parentis domi remanſiſſe, ejus videndi cupidus, Fratres vinculis eximi mandat, & eductis è carcere ait: *Fratrem veſtrum unum dimittite apud me, & abite, fratremquè veſtrum minimum ad me adducite.* Gen. cap. 42.

In obſi-

Scena VII. In obſidem dato Simeone, remittuntur cæteri ad miniſtros à Joſeph præmonitos, *ut implerent eorum ſaccos triticô, & reponerent pecunias ſingulorum in ſaccis ſuis.* Gen. cap. 42. Ab his expediti pergunt in Chanaan, poſtquam valedixerunt Simeoni.

Interludium.

CHORUS Imus.

JEruſalem lamentantem filios ſibi abreptos in captivitatem, jubet Propheta ponere luctum eò, quòd brevi cum gloria ſint ad eam reducendi: *Exue te Jeruſalem ſtolâ luctûs. Circumſpice Orientem & vide collectos filios tuos. Exierunt abs te pedibus ducti, adducet autem illos Dominus ad te portatos in bonore, ſicut filios Regni.* Baruch cap: 5.

ACTUS II.

Scena I. Reduces Fratres Joſeph frumentum ex Ægypto adductum Patri offerunt, quod dum effundere parant, frumento accluſas reperiunt pecunias: *Singuli repererunt in ore Saccorum ligatas pecunias.* Gen. 42. Hoc viſo attonitus Jacob, magis conſternatur, dum audit poſtulari Benjamin, Obſide tamdiu in vinculis detento Simeone, luctansq; inter affectus, num cum periculo Benjamin Simeoni ſubveniendum, tandem, fame Chanaan adhuc depaſcente adactus, in Ægyptum remittit filios unà cum Benjamin à ſe ægrè avulſo: *Revertimini & emite vobis pauxillum eſcarum, & fratrem veſtrum tollite.* Gen. c. 43.

Scena II. Fruſtra nituntur Domeſtici lenire dolorem Jacob lamentantis ſe orbatum filiis: *Abſqué liberis me eſſe feciſtis, Joſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis.* Gen. 42,

Scena III. In via Judas memor ſponſionis ſuæ datæ pro Benjamin reducendo, ſollicitè eum commendat curæ Fratrum: *Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali,* Gen. c. 42. Econtra Benjamin omnia ſe aditurum ſpondet pericula, ut Simeonem vinculis eximat.

Scena IV. Joſeph audit in carcere lamentantem Simeonem, fratribusq; abſentibus ſcelus, ob Joſeph olim venditum, exprobrantem: *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audiſtis me? En ſanguis ejus exquiritur.* Gen. 42.

Scena V. Joſeph gemitu Simeonis commotus, ſtatuit eum vinculis eximere, quod & facit, reverſis ex Chanaan fratribus. Hos dum conviviô excipit, varias de Jacob & Benjamin movet quæſtiones: *Salvusne eſt Pater veſter ſenex? adhuc vivit? Iſte eſt Frater veſter parvulus? DEUS miſereatur tui, Fili mi.* Gen. 43 Inter hæc obortis lacrymis recedit ad ſecretum conclave, mandans interea Fratres militum diſtrahi choragiis.

Scena VI. Jubet interim Joſeph frumentum extradi Fratribus, Diſpenſatori domûs ſuæ dicens: *Imple ſaccos eorum frumentô, ſcyphum autem pone in ore ſacci junioris.* Gen. 44. Deterſiſq; ori lacrymis Cœnaculum ſubintrat, & Fratres à menſa hilares ad Diſpenſatorem remittit, ſolo apud ſe detento Benjamin.

Scena VII. Hunc, à Diſpenſatore expediti repetunt, unáque cum eo dimiſſi viam in Chanaan arripiunt; verùm paululùm progreſſi, ab inſequente eos Diſpenſatore comprehenduntur eò, quòd *invenit ſcyphum in ſacco Benjamin.* Gen. 44. & Joſepho ſiſtuntur.

Scena VIII Reductos furti arguit Joſeph, Benjaminumq;, cæteris abire juſſis, detinet; pro quo deprecantibus aliis, Judaq; ſe in locum Benjamin offerente, *non potens ſe ultra cobibere Joſeph,* cum fletu maniſeſtat ſe Fratribus: *Ego ſum*

Joſeph

Joseph Frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Gen. 45. Hoc audito *fratres nimio terrore perterriti*, jubentur sine metu esse, revertiq; in Chanaan; & demum reverti in Ægyptum cum Jacob & tota familia redire: *Tollite inde Patrem vestrum, & cognationem & venite ad me.* Gen. cap. 45.

Interludium.

CHORUS IIdus.

GEnius Josephi edocetur à Providentia Divina somnii mysterium, quo sibi videbatur à sole, luna & undecim stellis adorari. Gen. 37.

ACTUS III.

Scena I. Filii Jacob, inter festivos votorum applausus, ad Patrem revertentes, in vivis superesse Joseph nunciant: *Joseph Filius tuus vivit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, ait: Sufficit mihi, si adhuc Joseph Filius meus vivit; vadam & videbo illum, antequam moriar.* Gen. cap. 45.

Scena II. Pharao cum tota Ægypto plausus adornat Jacob Patri Joseph & Fratribus ejus: *Celebri sermone vulgatum in aula Regis: Venerunt Fratres Joseph; & gavisus est Pharao & omnis familia ejus.* Gen. cap. 45. & Joseph obvium mittit, qui eos ad se adducat.

Scena III. Jacob in itinere subsistens ad *Puteum juramenti*, audit vocem *per visionem noctis vocantem se: Descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* Interea *Joseph ascendit obviàm Patri suo ad eundem locum, vidensq; eum, irruit super collum ejus.* Gen. cap. 46.

Scena IV. Pharao à Joseph introductum Jacob cum domo sua gratiosè suscipit, eosquè in terram Gessen, perpetuò inhabitandam locari jubet à Joseph: *Terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen. Et benedictò Rege egressus foras Jacob.* Gen. cap. 47. Joseph adorari præcipit, præ cæterisq; Filiis suis benedicendum prædicit: *Filius accrescens Joseph, Filius accrescens, DEus patris tui erit adjutor tuus & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper: Fiant in capite Joseph & in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Gen. cap. 49.

EPILOGUS.

CEres per manipulos somniatos intelligit domum Jacob adorantem Joseph in Pharaonis Regno sublimatum; Religio verò docet, hæc esse figuram Cereris Eucharisticæ, in qua hac triduanâ horarum Quadragesimâ, Illum per Joseph præfiguratum, orbi proponit adorandum, *Qui regnabit in Domo Jacob in æternum.* Luc. 1.

Ad
M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. Conceptæ
Honorem.

S. P. I. F. X. necnon SS. OO. debitam Venerationem.